

NONNULLA

DE NATURA CRISEOS MORBORUM.

Notum est vocem *crisin* vario olim sensu fuisse sumtam. Sub ea alii intelligebant judicationem natura de exitu morbi; alii mutationem in melius; alii evacuationem materiei morbosae, qua corpus se diversa ratione liberat, e. g. sudore, diarrhoea, sputis, haemorrhagiis etc.; alii demum habent crises utpote hyperdiacrises secretorias vel a phologoseos imminutione, vel ab alia causa irritativa interna vel externa oriundas, aut veras phlogoses consensus et illius jam existentis diffusionis gratia, vel alia potentia noxia incensas; quaeque omnia juxta peculiares conditiones, et circumstantias morbum lenire aut augere queunt, pro ut nempe aut ceu optima revellentia vel evacuantia agunt, aut oppri-

munt, et statum organismi abnormem magis conflictant. Ast, ubi experientia consonos esse vellemus, nequimus non considerare crises utpote organismi viventis conatus, quibus aliquid morbosi rejiciatur. Videmus enim in omnibus fere febribus, si vel ad finem sint perductae, vel intermissiones patiantur, crises occurrere. Scimus a practicis eas plerumque, si adversi nihil aliunde accidat, subsequi meliorem morbi statum, omnia vero e contrario deteriorari, aegrotumque saepe numero morte eripi, si crises aut non eveniant, aut impediantur, aut interrumpantur, aut repellantur. Experimur, necessarie saepe requiri remedia evacuantia, quae crisin promoveant ab una, ab altera vero parte antierethistica. Invenimus evacuationes criticas, ratione quantitatis, qualitatis, loci etc. natura morbi interdum convenire, interdum vero ei repugnare. Observamus denique hasce crises tam in febribus, in quibus de causa materiale cogitare non licet, quam in iis in quibus caussa materialis in propatulo est. Quae facta omnia licet ab Hippocrate usque ad nostra tempora adhuc sit repertus qui negat, deque iis du-

bitaret, difficillimum tamen erat, ea, cum essent tam diversa, cumque tantopere saepe sibi repugnarent, sub una eademque explicandi ratione comprehendere, id quod causa fuit, cur nec hodierno die materia haec clara sit atque enodata.

Variae interea enatae sunt opiniones de crisium natura. Fuerunt enim qui putarent omnes eas materias, quae sensibus se se offerunt, e. g. copiam bilis in morbis biliosis, materiem in gonorrhoea effluentem, magnamque illam muci copiam in catarrho, atque omne denique id, quod sub nomine materiei criticae intelligitur, nihil esse nisi materiales morbi caussas. Extant tamen et alii, qui nullam plane morbi caussam materialem in Pathologia statuunt, quique sibi aliisque persuadere student, essentiam febris tantummodo in irritabilitate praeternaturaliter excitata esse quaerendam, eamque nulla existente caussa materiali in erethismo, vel in spasmo esse ponendam, criticas vero omnes evacuationes a soluta irritatione, vel spasmo febrili originem ducere. Harum et aliarum haud recensitarum sententiarum quae verior saniorque

sit, quibusque rationibus haec illave aut defendi aut refelli queat, hic fusius disserere atque enodare animus non est. Nec opus esse duco ut demonstrem, plerisque febribus materiales subjacere caussas, et quaenam illarum, si existerent caussae, febris matres quasi atque nutrices, omnes unam post alteram recenseam, scrupuloseque dinumerem; cum Helsner, Vogel, Selle, Cullen, Hildenbrand, aliique viri experientissimi, reique medicae perillustrissimi id jam satis superque, miro ingenii acumine fecerint. De natura febrium, de vitae principio, deque consensu nervorum quid Huxham, Sydenham, Selle, Stoll, Grant, Hoffmann, Cullen, Vogel, Haller, Tissot, Darwin, Hartmann, Hilbenbrandius, Corneliani etc. statuerint, tantum abest, ut hic loci judicium meum qualecumque proponere possim, ut potius virium imbecillitas probe memor, non ausim determinare, quae individua corporis constitutio, quae idiosyncrasia, qualis nervorum philadelphia, qualis rerum diversissimarum corporis conditionem afficientium confluxus, quae proportio inter caussas praedisponentes atque occasionales hoc vel illud symptoma, hanc vel

illam modificationem producat, typum gradumve gignat, quidve durationem febris efficiat. Quae enim omnia cum prorsus a proposito meo aliena sint, naturam tantum crisium, et eorum quoque, quae in febribus, ex caussis immaterialibus emanantibus obveniunt, paulo accuratius determinari, et, sic viribus concessum ratione probabiliori aptiorique explicare conabor.

Novimus naturae legem, qua cautum est, ut quotiescunque corpus animale irritetur, toties quoque subsequatur motus, illumque concomitans salutaris humorum confluxus. Quae facultas merito tanquam custos considerari potest, qui strenue invigilet, ut hostem, cujus praesentia ex impressione adversa colligi potest, impediat quo minus ulterius progrediatur, ut ipsum debellet, ejiciat, ut heterogeneum id, quod irritationem efficit, involvat, demulceat, attenuet, et eliminet. De qua re si quis sibi persuadere cupiat paulo attentius consideret gonorrhoeam, catarrhum, vomitum a sumto veneno, quibus addi possunt diarrhoea ex acrimonia primarum viarum, scrupulus in oculum injectus, vel festuca in digitum immissa etc. etc.

Eodem fundamento nititur quoque crisium natura. Omnium febrium caussa est irritatio omni intuitu considerata materialis, sicuti Elsner docte magnoque ingenii acumine docuit (1).

Hujus irritationis effectus saepius occurrit e. g. in catarrho, in oculo corpusculis alienis vexato, in tractu intestinali etc. Quae irritatio a qua unice proveniunt febres, adsit caeterum caussa materialis nec ne, semper plus minusve est localis. Quae si est parva, vel irritabilitas non ita magna, et, ut brevi dicam, ejus effectus irritationi respondens, sequitur illa humorum secretio, cum qua simul caussa materialis febris, si adest, evacuatur. Morbus tunc erit levis, et brevi temporis spatio solvitur. Quod si autem irritatio vehemens sit, vel, quod idem est irritabilitas magna, materies, quae forte adest, initio retinetur. Morbus hoc casu fit inflammatorius, vehemens, et typum continentis febris aquirit. Excretionis vero negotium tardius nunc et quidem ita, ut infrequentius dicam, procedit. Fieri nempe nequit, ut quam late agat

(1) Beiträge zur Fieberlehre.

causa materialis, tam late quoque omnia puncta eadem vi irritentur, et hinc inde aeque ubique vescentur irritatione. Quivis vero scit, puncta, quae vehementissime irritantur, eo motu salutari, quem sequitur confluxus humorum, neutiquam moveri posse. In his observatur energeja erethistica continua, in illis vero alternativa. Illa igitur sola materiem retinere possunt, haec vero secretiones, quas novimus salutares efficiunt. Quae vero in peripheria sunt puncta leviter tantum irritata, ab iis secretionis negotium initium ducit, et his secreti humores materias ipsis proximas, quibus irritatio procreatur, demulcent, obtundunt, involvunt, et hac ratione puncta proxime adjacentia molestia et erethismo liberant, vel si forte nulla causa materialis adsit optimam revellentem actionem faciunt. Ab illis punctis iterum ad proxima ulterius progreditur vis, quae agit, nec prius desinit, quam omnis erethismus ad centrum usque solutus, omnisque morbi acrimonia materialis lenita vel, ut olim dicebatur cocta, et ad secretionem qualicunque via parata sit. Qualis sit nimirum ille nervorum consensus, qui per hoc

tempus plerumque, quanquam non semper, notam illam reactionem a natura quasi consulto excitatam producat, omnesque secretiones naturales nullo profecto alio fine, quam ut humores ad illas functiones necessarios conservet, diminuat, determinare equidem non audeo (1). Res vero negari nequit. Restant nunc adhuc crises, quas in morbis febrilibus, quorum caussae sunt immateriales, observamus. De his quoque dicam quomodo eas commode explicari posse credo.

Licet negari nequeat, plerosque morbos febriles a caussis materialibus originem ducere; licet verum sit naturae salutaris studium in propellendis iis, quae noceri possent multocies facile animadverti posse, tamen quoque videtur, esse febriles morbos, in quibus de caussis materialibus cogitari plane nequit. In febribus v. g. ex affectibus, ex frigore, ex calore ubi est caussa materialis? Estne in illis aliquid, quod

---

(1) De philadelphiis nervosis. Vide Dissert. a Jos. Elena indicta = Della influenza del sistema nervoso nei consensi o simpatie = Pavia Maggio 1832.

coquatur quod eliminetur? Sic plerumque ii loquuntur, qui crisibus non favent. En nodus, ad quem solvendum nobis opera danda est. Dicam igitur quid sentiam. Ea natura lex, ad quam supra jam provocavi et hic valet, licet nulla adsit materies, quae involvatur, diluatur atque propellatur. Confirmat, extraque omnem dubitationis aleam ponit sententiam hanc oculus, quem acu pulita irrites, quam licet statim facta irritatione extrahas, nihilque igitur in oculo remaneat, quod involutum, dilutumque ejiciatur, videbis nihilominus subsequi magnam lacrymarum copiam. Si eandem acum politum immittas in partem aliquam carnosam, eamque iterum statim extrahas, nec hic deficere videbis confluxum atque intumescentiam, eadem ratione ac si corpus aliquod heterogeneum adesset, quod per suppurationem ejiciatur. Fac, immaginari sibi quemdam sumsisse se nauseosi quid, nonne vomitu torquetur? Nonne diarrhoea laborat is, qui se pillulas laxantes vel ex drasticis devorasse opinatur? Vides, rem se plane ita habere, ac si quid adesset, quod leniatur, diluatur, atque corpore eliminetur. Nonne

fieri potest, ut crises, earumque conditio in febribus, quarum caussae sunt vel effectus, vel frigus, vel calor, seu ut breviter dicam, in febribus ex caussis immaterialibus enascentibus una eademque naturae lege nitantur? Nonne in iis quoque exsurta est et viget irritatio? Et quaenam est caussa, cur natura hic exceptionem a regula faciat, quae tamen a legibus ipsi praescriptis nunquam deflectit? Quod si igitur vi hujus legis, quoties oculus acu tangatur atque irritetur profluunt lacrymae nullam plane utilitatem praebentes, aut pus sine fructu usuque proveniat; si quando acus in partem carnosam immittatur, exinde tamen concludi minime nequit, omnes illos effectus aequiplane inutiles esse, quoties scrupulus in oculo, vel festuca in digito, vel venenum in ventriculo reperiatur.

Hoc si ad febrem applicetur facile perspicimus, cur etiam in iis, quae ex caussis immaterialibus sunt derivandae crises detegantur, omnesque eos valde errare, qui putant omnes crises sine utilitate, nullamque febrem esse, quae ex caussa materiale proveniat. Equidem nullam plane video rationem, cur ea, quae ir-

ritationem immaterialem et motus abnormes exinde exortos statim subsequantur, non salutaria putarem. Et hic adest erethistica conditio, parum refert, si vel tandem per sensorium ad partes irritabiles propagata sit. Et haec irritatio plus minusve est localis. Notum enim est moerore potissimum affici hepar, tristitia ventriculum, amore pectus, cor ira, veneris desiderio partes genitales, terrore cutim, etc. Hic quoque qua parte major irritatio movetur, ea etiam actio major, abundantior confluxus, uberiorque secretio observatur. Hic etiam plerumque sequitur salutaris illa reactio et diminutio omnium reliquarum secretionum. Quod si igitur demulcens ille liquor, quem actio et reactio adduxit, fibram erethismo tensam tangat, cur hanc non remittat, relaxet, sicque erethismum profliget, praecipue cum sit liquor animalis, tepidus, emolliens, jamque subactus? An credere licet, universam siccitatem perseverante actione existentem, tot liquorum naturalium lymphae, transpirationis, salivae, muci cavitatem oris et pharyngis obducentis, multorumque aliorum impeditam secretionem hic esse

plane inutilem? Nonne potius credendum est, hosce liquores demulcentes utilissimos esse ad fibram erethismo tensam remittendam atque relaxandam? Non video, quid huic sententia jure meritoque opponi possit atque contradici, ut veritatis specie destituatur. Videtur mihi saltem pro mea parte probabilissima, et multo intellectu difficilius esse credo, si statuimus morbi solutionem immediate quasi ex sola vi reactionis subsequi. Quomodo enim haec conditionem erethisticam frangere posset?

Si igitur rem ita consideramus, natura crisium tum in febribus, quae ex materiali caussa, quam in iis quae ex immateriali proveniunt, facile explicari potest, et cuique apparet, ambabus crisibus naturam ad sanationem perficiendam anniti. His positis non amplius necesse est, ut mirabundi morbum a natura ipsa sanatum aspiciamus, neque coactos nos videamus, ut aut crises tanquam caussas morbi materiales abnegamus, aut in omni casu materialem caussam quaeramus.

Hac forte, qua dixi ratione, cum Hippocrate, a quo tam longe descivimus in gratiam redire,

propiusque ad veritatem accedere possumus. Exceptiones illas, quando scilicet criticae evacuationes nullam morbi solutionem producunt, ut et eae, quae tunc videmus si morbus nulla accedente crisi sensim sensimque evanescit, mea quidem sententia aeque facile explicari possunt. De istis autem verba facere, in easque accuratius inquirere Dissertationis limitibus nimis angustis impedior.

FINIS.

PROOEMION.

Ad perscrutandam rerum veritatem in multis disciplinarum generibus ratione utuntur viri docti, quae primo intuitu mere speciosa et captiosa esse videretur: hypothesin puta. Quod si tamen, quae in rebus, nobis objectis, occurrunt, satis ab hypothesi quadam illustrantur, est sane, quod versimilem illam esse putemus. Quid? quod, si omnia objecta exacte hypothesi respondent, quodammodo ad veritatis et certitudinis nomen adspirat. Inde elucet hypothesium vis et honor.

In quo nam vero cognitionum humanarum genere hypothesibus aequius, justiusque venia danda erit, quam in medicinae studiis, imprimis illis, quae de natura humana agunt, ubi hominum ingenia subinde in rebus indagandis versantur, quae natura quodammodo ipsa celare voluisse videtur. Huc videlicet referri possunt diversae physiologorum hypotheses de modo, quo plures organismi humani functiones peraguntur.

Inter phaenomena periodica ad humanam fabricam pertinentia insigniorem locum tenent catamenia, cujus caussa efficiens physiologis explicatu esse difficillima semper visa est. Meam de hac caussa opinionem jam jam, pro imposito penso ad lauream capessendam, proponere audeo.

Catameniorum caussae duplici respectu in genere considerari possunt. Sunt enim vel positivae vel negativae. Sub negativarum nomine illas intelligo caussas, quae ceteris mammalibus, ut curatior docuit observatio a Blumenbachio relata, fluxum hunc sanguineum denegant; sub positivarum vero, quae negativis caussis absentibus, symptoma hocce humano generi proprium et solemne efficere valent. Quae quidem omnes ex propria corporis humani fabrica erui debent, collatis simul physiologiae comparatae studiis.

Quum autem caussae positivae periodico tantum ordine se se manifestent, et nihilominus conditio quaedam corporis constans adesse debeat, quae quarta quaque hebdomade hoc sanguinis profluvium admittat, dividendae iterum videntur in praedisponentes et efficientes, quarum illae e fabrica uteri, ejus situ, atque, ut breviter dicam, ab ejus conditione plethorica pendent; hae vero, quaeque sane principes

sunt, et periodicum fluxus ordinem efficiunt, a virium vitalium vigore, ut argumentis demonstrabo, excitantur.

Exordiamur itaque a caussis positivis praedisponentibus inter quas primum locum tenere meretur *conditio uteri plethorica*, κατ᾽ εξοχην dicta, ab ejusdem parenchymate oriunda. Idea enim plethorae involvit sanguinis massae in vasa continentia vim tantam, cui haec resistere nesciant, sed potius extendantur, et vel per diaeresin, vel per anastomosin ita diminuantur, ut cruori exitus pateat. Quae quidem omnia de utero valere sequentia demonstrant argumenta.

I.

Insignis parenchymatis uterini expansibilitas.

Sit venia verbo, cujus quidem luculentissimum exemplum praebet graves et insignes mutationes, quas gsaviditatis tempore uterus subit. Quum vero sciamus omnia corporis viscera eo magis plethorae esse obnoxia, quo major sit eorum expansibilitas, eundem quoque statum plethoricum utero in statu licet virgineo denegare nequimus.

II.

Peculiaris venarum uterinarum structura.

Patet ex scholis pathologicis arterias ob majorem tunicarum irritabilitatem et elaterem congestioni san-

guineae, nisi quodammodo phlegmones theoriam huc trahere velimus, diu resistere posse. Nulla itaque pars, ad effectus plethoricos edendos, sanguini magis indulget, quam tractus vasorum longe inertiorum: venas puta. Porro experientia clinica demonstrat illas praeprimis corporis partes congestioni plethorica esse obnoxias, quarum venae valvulis destituantur. Exemplum praebent plethorae venarum abdominalium. Idem etiam valvularum defectus per totam uteri compagem observatur, et symbolam suam conferre valet, ad statum uteri plethoricum constituendum.

III.

Irritabilitatis muscularis defectus per totam uteri compagem observatur.

Quaecumque enim de musculosa uteri structura disputata sunt, neutiquam tamen veram irritabilitatem Hallerianam hujus visceris probaverunt. Quanquam enim vix cum veritate negari possunt fibrae, tamen, ut effatur Wrisberg, muscularium instar non parallelae decurrunt, nec in strata distincta collectae sunt, nec asperae inveniuntur, nec stimulo anatomico ad irritabilitatem vellicari possunt, quum specificum illarum irritamentum ignoremus. Motrices vero esse fibras ex summa uteri contractili vi patet. Similes in iride observantur effectus, quae sine distinctis fibris muscularibus pro varia lucis actione et expanditur et contrahitur. Quum vero nulla pars

congestionibus et sanguineis et lymphaticis magis obnoxia sit, quam in qua musculorum defectus penitus observatur, vel exigua tantum structurae muscularis vestigia adsunt; jam exinde plethora uterina quodammodo explicari posse videtur.

Praeter autem conditionem uteri plethoricam ab ejusdem parenchymatis indole pendentem, aliam adhuc caussam praedisponentem recitant physiologi: situm videlicet corporis humani erectum. Quanquam ego quidem hanc caussam non inter principes referrem ad catamenia fundenda praedisponentes, quum non intelligam, qui fiat, ut puellis circa annos pubertatis hic fluxus nondum contingat: situs tamen uteri in ima pelvi concaussam sistit, minime negligendam. Si enim ponimus, nisu quodam formativo, neutiquam explicabili, uterum inde a pubertatis annis ita efformari, ut catameniis fundendis par reddatur: situs corporis erectus, nisi quidem absolute hunc fluxum ciet, mire tamen illi favet, dum sanguis ipsa sua gravitate physica ad uterum allicitur. Omnes enim excretiones et secretiones vel naturales vel praeternaturales eo facilius succedunt, quo magis excernenda et secernenda directionem gravitatis sequi possunt. Salivae ex ductibus suis effluxus prono capitis situ augetur; puris in abscessu collectioni situs membri declivis favet, haemorrhoides in situ corporis perpendiculari vehementius saeviunt. Quid? quod natura ad excretiones et secretiones facilitandas gravitatis leges quodammodo sequuta fuisse videtur, cujus insigne exemplum nobis praebet totum, quo patet, systema

uropoeticum et bilis vel in cystidem suam, vel in duodenum delapsus.

Tertiam caussam praedisponentem numero calorem uteri insignem, physiologis observatum a vicinia partium undique illum circumdantium oriundum. Ea est enim calidi sanguinis animantium conditio, ut, quam ope respirationis perenni tramite sibi vindicant, ignis materiam continuo iterum atmosphaerae reddant. Quae quidem materiei ignes ad atmosphaeram attractio eo insignior est, quo magis corporis partes ejusdem superficiei appropinquant, quum contra illae, quae profundius sitae sunt materiam igneam diutius retineant quin a partibus vicinis iterum attrahant. Quantam vero symbolam ad congestiones sanguineas juvandas, calor diversarum partium specificus conferat, ulterioribus argumentis non indigebit. Plures adhuc caussas praedisponentes, nisi subtilitatis nomen timerem afferre possem. Accedo itaque ad illas, quae fluxum hunc sanguineum periodica vicissitudine proliciunt. Idea vitae esse nequit sine vicissitudinibus et rythmis periodicis. Quando hae periodi vexantur, lentescunt et labefiunt animal aegrotat; quando omnino evanescunt animal mortuum dicendum erit. Pulsus, respiratio, somnus, appetitus, alvi depositio, catamenia, febris etc. periodum quandam plus minus protractum tuentur. Quid autem est principium omnium harum vicissitudinum rythmicarum per totum organismum viventem perenni tramite agentium? Certo est vigor virium vitalium, vel propria harum conditione, vel peculiari stimuli indole excitatus.

Quanquam itaque vires vitales caussae periodici catameniorum fluxus esse videantur : id tamen mediante irritabilitate musculari ab Hallero dicta, praestare videtur. Id enim a posteriori, quod dicunt, multis phaenomenis, irritabilitatem adesse probantibus, docemur; a priori vero, quum experimentis evictum sit, vel minimi ordinis vasis irritabilitatem haud esse denegandam. Multo felicius plura phaenomena physiologica et pathologica explicari possunt, si, quae veteres physiologi viribus mere mechanicis et physicis attribuere, potius ad virium vitalium actionem referuntur. Quae enim e. g. tubullorum capillarium functione ab illis explicabatur, vasorum lymphaticorum vis resorbens, majori jure vi cuidam, neutiquam mechanicae, parietes vasorum vario modo constringenti, ideoque veram irritabilitatem demonstranti, adscribitur. Omitto tamen gravissimam hanc irritabilitatis provinciam, et, ne multus sim, ad coepta revertor.

Girtanner verissime sustinet corpora viva perenni irritabilitatis hauriendae iterumque excernendae negotio esse obnoxia. Adscribit hanc irritabilitatis edendae facultatem basi aeris vitalis, seu oxyginio. Quod si etiam nondum acuratissime determinare possimus, num hic sit fons irritabilitatis; attamen negari nequit, multa phaenomena exactissime inde explicari. Irritabilitas tamdiu occulta remanet donec stimulus qualiscunque illam in motus cicat et deinceps extinguat. Hoc placitum Girtannerianum optime nostrae, quam jam jam proferre ausi sumus de periodico catamenio-

rum fluxu opinioni respondet. Femina enim sana perenni functione hanc irritabilitatem occultam attrahit: sanguis vero circuitu suo per totum organismum dispersus stimulum porrigit, qui irritabilitatem accumulatam, eamque nimiam in motus ciet, viresque vitales subito ita excitat ut sanguis ad uterum, qui jam plethorica, ut demonstravi conditione instructus est, congeratur, vasaque minima transudet.

Nunc statim silet irritabilitas, et per aliquod tempus quasi extincta videtur, partim quod gravissima eaque praecipite, vicissitudine consumpta est, partim vero quod stimulus, sanguinem puta, fractus est. Attrahitur denuo interea irritabilitatis edendae facultas, redit post quatuor hebdomades tanta sanguinis copia, ut accumulata et occulta irritabilitas excitetur, iterumque catameniis fundendis par sit. Sic itaque periodicus hic fluxus, modo aucta, modo imminuta irritabilitate, per 30 circiter annos viget, donec tandem exsangui senectus irruit, et conditio uteri plethorica rigiditati senili cedit, unde catameniorum fundendorum functio, labefacta, mox desinit.

Quid? quod irritabilitatem varia ratione modificatam, ipsissimam esse solemnis hujus phaenomeni caussam, pathologica etiam catameniorum conditione docemur. In genere catamenia duplici ratione peccant dum vel abundant, vel justam sanguinis quantitatem haud tenent. Utrumque phaenomenon secundum theoriam hypotheticam a me explicatam illustrare audeo. Mensium fluxus duplici ratione peccat abundantia. 1. Si corpus nimia irritabilitate laborat: 2. si stimu-

lus qui irritabilitatem latentem in motus ciet, justo gravior est. Feminae sanae, quae scilicet modica irritabilitate gaudent vix ac ne vix quidem, licet plethoricae sint, catameniorum excessu vexantur; quum contra mulierculae, quae irritabilitate nimia laborant, licet corpora exsanguia et delicatula habeant, menstruationem profusam, inordinatam et frequentiorem saepissime perpetiantur.

Stimulus proximus, qui irritabilitatem, ad catamenia fundenda excitat, in massa sanguinis positus est. In illis itaque feminis, ubi vel exigua adest laticis vitalis copia, vel irritabilitas minor catamenia justam quantitatem haud tuentur. In utroque casu irritamenta graviora corpori allata, quae plethoram spuriam efficiunt et irritabilitatem lentescentem ad reactionem sollicitant, catamenia promovere possunt. Inde explicatur usus aloes, et cujuscumque alius emenagogi, utpote talis quod irritabilitatem minimam ad motus cogat, ideoque fluxum restituat. Ex omnibus itaque allatis patet, quidquid periodici catameniis insit, deberi irritabilitati variae, stimuloque sanguineo. Nam et irritabilitas et irritamentum continuis vicissitudinibus obnoxia sunt, ita ut in statu sano quarta quaque hebdomade sanguinis copia iterum tanta sit, ut irritabilitatem, quae in eodem temporis spatio pari ratione aucta est ad motus edendos cogat, tantamque in totum organismum vim exserat, ut sanguineus latex effundatur. Imo vel argumenta ex disciplinis clinicis petita huic de periodico catameniorum decursu hypothesi respondere videntur.

Ponamus videlicet menstrua a venereo stimulo obstructa, in quo quidem casu duo irritamenta in corpore obtinent, sanguis scilicet menstruatione excernendus, virusque venereum. Ille tempore catameniorum irritabilitatem occultam, seu potius lentescentem totius systematis sanguiferi movet et oritur quasi orgasmus febrilis. Virus venereum stimulum sistit contrarium, qui dum continuo irritabilitatem vasorum minimi ordinis excitat ea contrahit et catameniorum profluvium inhibet. Hoc in casu id tantum agendum erit, ut stimulo iniquo sublato, sana irritabilitas restituatur. Effectu utriusque hujus irritamenti, sibi invicem contrarii illa phaenomena optime explicari posse mihi videntur, quae hoc casu in sexu sequiori observantur, et menstruationis dolorificae et difficilis nomine salutantur. Ceterum plura phaenomena, quae suppressionem fluxus menstrui comitantur, verisimile reddere videntur, effectus proximos hujus suppressionis non attribuendos esse sanguini excernendo, non excreto, sed potius irritabilitati vehementer excitatae et in motus coactae dum irritamentum sanguineum non eliminari potest, ideoque ob continuam in corpore moram, irritabilitatem diutius et vehementius movet, donec tandem illa extincta et effectus nocivi sensim desinant. Observatur enim, illas feminas quae hac suppressione laborant, definitis temporibus, et quidem plerumque quando catamenia secundum naturam fluere deberent spasmis momentaneis turbari. Hoc phaenomenon explicari non posse videtur, nisi ponamus irritabilitatem per quatuor hebdomades auctam

in motus cieri, tandemque iterum extingui, stimulo sanguineo licet perenni. Quodsi itaque caussa catamenia impediens tolli non posset; hi tamen effectus ab excitata et mota irritabilitate oriundi remediis sedantibus relativis minui possent.

Nunc adhuc verba quaedam adjicere liceat de caussis catameniorum negativis, quae scilicet hanc praerogativam infantili senilique aetati omnibusque animalibus viviparis denegant. In aetate infantili, ubi tamen irritabilitas tam insignis est, nulla exceptis rarissimis exemplis catameniorum vestigia reperiuntur. Caussae nisi in hypotheticos teleologiae campos incidendi animus sit, has paucas annotari posse, duco. Prima recitari meretur efformatio uteri in aetate infantili nondum absoluta. Sic enim accidit ut omnis congestio sanguinis ab utero arceatur. Nisus enim formativus tunc denique uterum quasi explicat, quando tota virginei corporis compages par est, gravissimo partus negotio subeundo. Respectu irritabilitatis insignis in aetate infantilis observabilis, natura sexcentis utitur opportunitatibus, quibus nimia irritabilitas continuo iterum extinguatur, inter quas inprimis eminet animi hilaritas, huic aetati quammaxime communis, utpote quae nimis aggregatam irritabilitatem efficacissime extinguat; lusuum et exercitii corporei appetentia, et sic porro. Quid? quod minor sanguinis copia infantibus communis praematurum catameniorum profluvium impedit.

Quae de caussis defectus catameniorum in aetate infantili proposui, etiam de aetate senili valere vi-

dentur. Nam, ut omnia argumenta omittam, quae teleologia mihi suppeditare possit, uterus obrigescit, latex vitalis imminuitur, ipsi rivuli exsiccantur et, quod imprimis censendum videtur, irritabilitas lentescit. Quod si unum et alterum ex hisce phaenomenis, quae senectutem comitantur in aliqua femina ultra annos pubertatis posita non observantur, fieri omnino potest, ut catamenia adhuc profluant. Sic ipse matronam novi, in qua catamenia, eaque satis profusa corpori quammaxime irritabili tribuere velim. Dixi, sanguinis exiguitatem caussis annumerari posse, quae catamenia ab aetate infantili, senilique excludant. Inde sequitur, quod in aetate pubertatis femina sana majorem sanguinis copiam, quam vir, ceteris paribus praeparare debeat. Quo cum etiam consentiunt observationes anatomicae, et physiologicae, quae insignem vigorem vasorum resorbentium apud feminas testantur. Inde Wrisbergius ait, « viscerum vigorem, chyli salubrioris uberiorem praeparationem sanguinem, in utero collectum, ad effugia quaerenda disponere ».

Vix adhuc quaedam disserere audeo de caussis defectus catameniorum in brutis, quae tamen nihilominus concipiunt, prolem gerunt, nutriunt. Omitto tamen hypothesin teleologicam, hoc uno contentus, quod quodammodo ad probabilitatem sensualem adspirat. Physiologiae enim et anatomes comparatae studiis relictum est, ut veriora olim doceamur, sicuti teleologia fortasse philosophicam rerum indaginem

sibi vindicat. Certe caussae quammaxime latent, nullamque cui qualemcumque veritatis speciem tribuere et velim et possim, scio, quam situm corporis pronum, per totam mammalium classem observabilem. Huic enim quodammodo respondere videntur fluxus sanguinis vestigia, in ordine simiarum obvia, quum tamen quadam ratione situs erectus haud prorsus illis denegari queat, quanquam quidem hicce fluxus tantum parcus, vagus, et omni periodico ordine plane destitutus sit. Haec qualiacunque habui, quae de catameniis mihi disputanda videbantur. Utinam aequos benevolosque lectores nanciscantur!

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Anatomia firmum est medicinae fundamentum.

II.

Arteriae duplici motu gaudent.

III.

Sobrietas praecipuum sanitatis praesidium.

IV.

Aetas temperamenta mutat.

V.

Ubi sensus, ibi voluntas.

VI.

In vestibus utendis observanda veniunt materies, color, forma, quantitas, mundities.